

causis Gentilium fieri assolet, appellationem inter-
posuerunt. Eodem tempore idem Donatus petiit, ut
ei reverti licisset (*ita ms. German.*), nec ad Cartha-
ginem accederet. Tunc a Filumino suffragatore sug-
gestum est, ut bono pacis Cæcilianus Brixiae retine-
retur: et factum est. Tunc duo episcopi ad Africam
missi sunt, Eunomius et Olympius: ut remotis duo-
bus unum ordinarent. Venerunt et apud Carthagi-
nem: fuerunt per dies 40, ut pronuntiarent ubi esset
catholica. Hoc seditiosa pars Donati fieri passa non
est. De studio partium strepitus quotidiani sunt ha-
biti. Novissima sententia eorundem episcoporum
Eunomii et Olympii talis legitur, ut dicerent illam
esse catholicam, quæ esset in toto orbe terrarum, et
sententiam decem et novem episcoporum (*hoc est
Melchiadis et sociorum*), jam dudum datam non posse
dissolvi. Sed appellationem ab Optato notari, quæ
Arelatense concilium excepit, et ad id, quod post
idem concilium contigit, reliquam narrationem per-
tinere hinc plane nobis est persuasum: 1° quod su-
periora Constantini verba, « O rabida furoris au-
dacia! Sicut in causis Gentilium, etc., » ex Imperato-
ris hujus epistola ad episcopos qui Arelate conven-
erant (*apud Lab., tom. 1 Concil., pag. 1431, d. c.*)
descripta sint: deinde quod Augustinus, epist. 43,
n. 20, Arelatensis concilii judicium et ab eo appel-
lationem, necnon æquam Imperatoris indignationem
hoc ordine perstringat: « Neque enim ausus est
christianus imperator sic eorum tumultuosas et fal-
laces querelas suscipere, ut de judicio episcoporum,
qui Romæ sederant, ipse judicaret; sed alios, ut
dixi, episcopos dedit, a quibus tamen illi ad ipsum
rursum Imperatorem provocare maluerunt: quæ in
re illos quemadmodum detestetur audistis. » Postre-
mo quod Optatus Melchiadis et sociorum adversus
Donatum sententiam non ut recens, sed ut jam dudum
prolatam commemoret. Sed et illud observatione
dignum, ut cum post Arelatense concilium Eunomius
et Olympius Carthaginem ad sedandos Donatistarum
tumultus missi fuerint, nulla hujus concilii mentione
facta, » sententiam decem et novem episcoporum
(Melchiade præside) jam dudum datam non posse
dissolvi » pronuntiarint. Unde id, quod Carthagine
gesserunt, non tam ex Arelatensis concilii, quam
ex Melchiadis sententia gessisse merito videantur.

12. Uno verbo Melchiades ea sententia, quam lau-
dat Augustinus, unitatis resarciendæ viam præmon-
stravit: adeo ut diversos illos modos, quibus Afri
catholici schismaticos sibi conciliare et ad concor-
diam revocare, sive in collatione, sive ante, tentarunt,
spectare liceat veluti diversos aditus pacificæ ejus
viæ, quam Melchiades illis aperuerat. Ipse clericis et
episcopis a schismate recedentibus gradus et honores
suos per indulgentiam servando, gravissimum res-
taurandæ pacis removit impedimentum. Deinde vero
Afri pacem hac via initam, variis modis, qui ab illa
non recedebant, coagmentare, prout tempus exige-
bat, studuerunt. Qua de re vide et Codicem cau-
num eccl. Afric., c. 117 et 118.

15. Unum adhuc, unde disciplina ecclesiastica il-
lustratur, circa sententiam Melchiadis ab Augustino
superius laudatam, observandum restat: quod vide-
licet in quibuscumque locis duo essent episcopi, ita
eum confirmari voluit qui fuisset prior ordinatus, »
ut tamen « alteri eorum plebs alia regenda commit-
teretur. » Cui judicio in Carthaginensi collatione,
cogn. 1, cap. 16, congruentes Afri, ubi non unus tan-
tum, sed et ambo episcopi, postulante populo, remo-
vendi sunt, singulis singulas ecclesias tribuendas esse
decernunt. Ideo vero istud observatu dignum puto,
quia effluxisse hinc videtur mos subinde usitatus,
episcopos qui a propriis plebibus aut non admissi aut
expulsi sunt, ad alias ecclesias transferendi. Inde
sanè nihil præter antiquam disciplinam commisisse
comprobantur, sive Leonis decessor Xystus III,
epist. 8, cum Perigenem Patrensibus ordinatum
episcopum, sed ab his recusatum, Corinthiis præfi-
ciendum curavit; sive ejusdem Leonis successor Hi-
larius, ubi Hermen, qui se a Biterrensibus exclusum
dicebat, Narbonensibus præesse permisit (*Hilar.,
ep. 8*), seu Joannes III, cum Joanni Alexandrino epi-
scopo e propria civitate expulso Nolanam ecclesiam
regendam tradidit (*Liberat., c. 18*). Ea ipsa ratione
excusatur quoque migratio Aprunculi, qui, uti Grego-
rius Turonensis, lib. II de Gestis Francorum, c.
23, et Baronius, ad annum 484, referunt, « Lingon-
icæ civitatis episcopus, apud Burgundiones cœ-
pit haberi suspectus: cumque odium de die in diem
cresceret, jussum est ut clam gladio feriretur. Quo
ad eum perlato nuntio, nocte a castro Divionensi per
murum demissus, Arvernus advenit, ibique juxta ver-
bum Domini... undecimus datur episcopus. »

§ V. — *Melchiadis judicium Donatistæ antiqui respuunt, eumque postmodum traditionis librorum recentiores falso accusant.*

14. Quantumvis moderata fuerit Melchiadis sen-
tentia, Donatistis tamen non placuit. Hi quippe de
episcoporum judicio, in quo victi fuerant, statim
murmurare, atque precibus Constantino oblati ex-
postulare cœperunt. At hæc eorum expostulatio ap-
pellationis nomine donanda sit, necne, inter eruditos
disceptatur. Inter eos tamen convenit schismaticis
illos Melchiadis judicio non stetisse, iudices alios a
Constantino flagitasse, idque ab illis inique foisse
postulatum. Obtendebant nimirum, paucos admodum
episcopos sententiam tulisse, qui nec omnibus quæ
prius inquiri oportebat diligenter excussis, ad deprom-
endum judicium properanter accessissent. Hanc
tamen rationem illi tunc prætexebant, ut Romanæ
synodi judicium detrectarent: nec aliam memorat
Constantinus in ea epistola, qua plurimos ex diversis
ac prope infinitis locis episcopos in urbem Arelaten-
sem convenire ejusdem causæ finiendæ gratia præ-
cipiebat (*August., epist. 105, n. 8; Optat., lib. 1; Con-
stantinus, apud Euseb. l. x, c. 5*). Ex quo colligitur
Donatistis non solum ante concilium Romanum, sed
et post, toto scilicet intervallo illo quod inter hoc

atque Arelatense concilium intercessit, minime venisse in mentem, ut Melchiam crimine traditionis sacrorum librorum arguerent.

15. Id vero postmodum commenti, non Melchiam solum, sed etiam Marcellinum, Marcellum atque Silvestrum ejusdem criminis postularunt. Ex quo et hanc calumniam ab eis ante Silvestri papæ tempora excogitatum non fuisse haud temere suspicemur. Quamvis enim hoc nefas a Marcello, Melchiade, Silvestro, cum adhuc Marcellini presbyteri essent, perpetratum fuisse dixerint: nemo tamen non videt hoc eos, ut apostolicæ sedi odium atque invidiam facerent, ejusque adversus se auctoritatem declinarent, excogitasse; adeoque et postquam Marcellus, Melchiam ac Silvester ejusdem sedis dignitate decorati jam fuissent.

16. Immo ex Augustini verbis in breviculo collationis cum Donatistis, cap. 18, intelligitur, Donatistas in collatione Carthaginiensi primum id criminis Melchiam imposuisse. « Cum enim eos compulisset Cognitor, » inquit Augustinus, « ut contra concilium judiciumque Melchiam, quo Cæcilianus purgatus atque absolutus legebatur, si haberent aliquid, dicerent; tunc Donatistæ ipsum Melchiam cæperunt traditionis arguere, et dicere majores suos propterea illius judicium refugisse. » Istud affirmantes mendacii convincere difficile admodum non erat: siquidem majores illorum Melchiam judicio stare detrectantes, nihil umquam hujusmodi in precibus suis prætexuisseprehenduntur. Verum quia rem non Cognitori solum, sed et ipsis Catholicis inauditam objiciebant; ideo « facto iudice intento, utrumne de traditionis crimine aliquod judicium vel publicum vel ecclesiasticum proferretur, ipsisque Catholicis id ut probaretur expectantibus et exigentibus, leguntur Donatistæ gesta quædam prolixissima apud præfectum, ubi nec præfectus ipse cujusmodi esset apparebat, nec locus legebatur ubi hæc agebantur: sed gesta ipsa multos multa ecclesiastica tradentes longissima recitatione sonuerunt, ubi nomen Melchiam omnino non sonuit. Quibus peractis, » miratus est « Cognitor aliud promissum, et aliud recitatum. » Exinde recitarunt alia gesta, in quibus Melchiam legebatur diaconus Stratonem et Cassianum misisse, ut loca Christianis tempore persecutionis ablata jussu imperatoris reciperent. « Et cum his quoque gestis nullum Melchiam crimen et Cognitori et Catholicis defensoribus appareret, dixerunt Donatistæ, Stratonem diaconum, quem cum aliis ad recipienda loca ecclesiastica miserat, superioribus gestis recitatum esse traditorem: et ideo volebant etiam Melchiam crimine traditionis adspargere, quod diacono illo non degradato uteretur. » At rogati « utrum saltem in illis traditionis gestis esset expressum, quod Straton diaconus fuerit, » ne id quidem probare valuerunt. Respondebant præterea catholici, etiamsi Straton traditor diaconus appellatus fuisset, non inde sequi, ut is fuerit quo postea Melchiam usus est: cum fieri potuerit, ut

quemadmodum inter apostolos duo Jacobi duoque Juda, et apud ipsos schismaticos duo Donati, Cæsensis et Carthaginensis; ita et inter Romanos diaconos duo Stratones simul exstiterint (*Aug., Brevic. diei tertie: collat. cum Donat., cap. 18, n. 34*). « Illud quoque additum est a Catholicis, quia etsi demonstraretur, quod omnino non demonstrabatur, eundem Stratone diaconum tradidisse, quem postea Melchiam ad recipienda loca ecclesiastica cum aliis diaconis misit, non continuo Melchiam isto crimine adspargi, quem potuit persecutio longe facere absentem, ut hoc omnino nesciret, eumque innocentem putaret, quem nemo reum accusando monstraret. » (*Ibid., n. 35*.) Postremo cum ad calumniosam Melchiam criminationem redire conarentur Donatistæ, Cognitoris interlocutione ab ea sunt depulsi.

17. Neque tamen propterea quieverunt. Nam et post collationem Carthaginensem inde Melchiam calumniandi ansam arripuerunt, quod Cassiani nomen et in diaconis ipsius, et in illis gestis ubi facta traditio recitata est, reperiebatur (*Augustin. Brevic. coll., n. 36*). Sed hæc Donatarum pertinacia et varii conatus ut unum infamarent Melchiam, cum cæteris parcerent Romani concilii iudicibus, argumento sunt, quam gravein quamque sibi incommodam sentirent illius auctoritatem. Neque aliud quidquam tot tamque iniquis molitionibus proficere, nisi ut Melchiam moderationem, æquitatem, integritatem atque innocentiam vitæ patefacerent. Eos enim quod in ipso reprehenderent prorsus defecit necesse est, qui calumniam ei undeque struere conitentes, illius occasionem in diaconis ipsius, sed potius in similitudinibus nominum diaconis ipsius communium, quærere coacti sunt. Ipsi vero quanto essent furore correpti, prodiderunt, cum iudicio, in quo accusatores ac testes una cum accusatis præsentibus auditi, et ei quidem a iudicibus quos ipsi expetierant, quibusque præsul æquissimus atque omnium episcoporum princeps præsidebat, prolato stare nolentes, Imperatorem appellare maluerunt. His religiosior Constantinus eorum appellationem molestissime tulit: sed paulo indulgentior quam par esset, dum audaciam non comprimit, gravibus Ecclesiæ malis locum et occasionem præbuit. Quamvis autem appellantis aliud Arelatense iudicium dederit, hoc tamen, teste Augustino, epist. 43, olim 162, n. 20, dedit, « non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, et omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere. » Nec prohibuit hujusmodi appellatio, quominus, uti jam exposuimus, episcopi Eunomius et Olympius, in Africam pro componendis Carthaginensis ecclesiæ rebus missi, postmodum pronuntiarint, « sententiam decem et novem episcoporum jam dudum datam dissolvi non posse » (*Optat., lib. 1*).

§ VI. — De decretis Melchiam papæ attributis.

18. Duas Melchiam supposuit Isidorus Mercator epistolæ, unam ad Leontium ac cæteros Hispaniarum